

XLIX. & L. In Hervordia basilicam S. Mariæ.]

Hujus Basilicæ originem Krantzius Saxon. lib. 2. c. 24. ad Widekindi Saxonum Principis munificentiam transfert. Nam Angariorum veterum sedes, quæ versus orientem ad Visurgin pertinet, cum is Caroli permissu insideret: ajunt, (David Chytr. Saxon. lib. 3. in Westph.) prope Hervordiam vico Engern templum cum Collegio condidisse, ubi hodieque monumentum istius Ducis extet. Hinc Krantzius putat vectigalia in Sanctimonialium Hervordia Parthenonem transscripta, Dominabus, ut ipse loquitur, ibidem imperitantibus servitura, additque, Widekindum sepultum primo in hujus Collegij templo ab se fundati: inde à liberis Padeburnam esse translatum. Ego, ut de Wittekindi memoria rem integram esse patiar, & apud Angarios, sive Angriam sedisse concedam, cujus nunc tractus Hervordia, Comitatus Lippiensis, & Mindensis Episcopo censentur, non facile tamen hujus novæ Basilicæ S. Crucis primordia, quæ hic tam præclare traduntur, & velut à capite arcessuntur, ijs posthabuerim, quæ Krantzius memoria tradidit. Et licet majorum religio huic loco ob hæresis injuriam quam pridem detracta, manet tamen hujus miraculi & loci memoria vulgo, Ad visionem, nuncupata.

Ungariorum vastatione, & Thietmari invasione.] Jam inde à Luduici III. & Conradi I. imperio assuefacti Ungari ingenti flammæ, & populationum clade pervadere interiorem Germaniam. Lambertus ad annum Christi DCCCCVI. vastasse scribit Saxoniam. Idem ad annum DCCCCXVI. Reginonis supplementum.

P 4 rum.